

Atq; ita errorem defendere juxta atq; speciosè palliare adnitebatur. Id quod sæpè solet fieri. Quemadmodum enim alii habitum corporis habent benè constitutum, alii habere videntur, instar tribuaria- rum hoſtiarum tumentes; & pulchri alii sunt propter pulchritudinem, alii per fucum videntur: Aliud item verum aurum est, aliud esse apparet, idem circa sapien- tiam contingere consuevit. Multi enim olim cum avaritia & ambitio animos ho- minum obsedisset, sapientes videri, quàm esse maluerunt, dummodò applausum po- puli & lucrum inde consequerentur. Con- sequi autem id studebant captiosis argu- mentatiunculis, quibus toti dediti omni- um rerum scientiam profitebantur, disci- pulorum multitudinem captantes; Illa ars vocabatur *Sophistica* & ipsi *sophista*. Hinc secundum Aristotelem *Sophistica est sapientia, quæ videtur, quum revera non sit, Φαινόμενη σοφία, ἔσα δὲ μὴ.* Et *Sophista* γεν- μαλίστης lucri studiosus, qui quæstum captat ex Sapientiâ, quæ esse videtur, nec est.

B 3

Quum